

egrediens modo claudit, modo aperit faciem reciproca inundatione camporum. Hic vobis aquatilium avium more domus est. Nam qui nunc terrestres, modo cernitur insularis, ut illic magis aestimes esse Cyclades, ubi subito locorum facies respicis immutatas. Earum quippe similitudine, per aequora longe patentia, domicilia videntur sparsa, quae natura protulit, sed hominum cura fundavit. Viminibus enim flexilibus illigatis, terrena illic congregata soliditas aggregatur; et marino fluctui tam fragilis munitio non dubitatur opponi; scilicet quando vadosum litus moles ejicere nescit undarum; et sine viribus fertur quod altitudinis auxilio non juvatur. Habitatoribus igitur una copia est, ut solis piscibus expleantur. Paupertas ibi cum divitibus sub aequalitate convivit. Unus cibus omnes reficit; habitatio similis universa concludit; nesciunt de penatibus invidere; et, sub hac mensura degentes, evadunt vitium cui mundum constat esse obnoxium. In salinis autem exercendis tota contentio est; pro aratris, pro falcibus, cylindros volutis; inde vobis fructus omnis enascitur, quando in ipsis, et quae non facitis, possidetis. Moneta illic quodammodo percutitur victualis. Arti vestrae omnis fructus addictus est. Potest aurum aliquis minus quaerere; nemo est qui salem non desideret invenire; merito quando isti potui debetur omnis cibus, qui potest esse gratissimus. Proinde naves quas, more animalium, vestris parietibus illigatas, diligenti cura reficite; ut, quum vos vir experientissimus Laurentius, qui ad procurandas species directus est, commovere tentaverit, festinetis excurrere; quatenus, expensas necessarias nulla difficultate tardetis, qui pro qualitate aeris, compendium vobis eligere potestis itineris.

*Traduzione.*

Ai tribuni marittimi il senatore prefetto del Pretorio.

Con espresso comando abbiamo giudicato, che l'Istria con opportuno viaggio dirigesse ai magazzini di Ravenna